



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita P. Iacobi Laynis Secundi Societatis Iesv Generalis
Alphonsi item Salmeronis Vnius in primis decem Socijs**

**Ribadeneyra, Pedro de
Coloniae Agrippinae, 1604**

Socijs Italiae prouinciae praeficitur Laynes. Cap. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11740

re consueuerat: plurimum illis merito deferens, aut superiorum auctoritatem defendens. Turbis itaque perpetuo abstinens, & ad pacem omnes concordiamq; reuocans, eodem semper vultu animiq; habitudine spectabatur. Sed vnde digressi sumus, reuertamur.

Socijs Italiae prouincia praeficitur

L A Y N E S.

C A P. X.

Prolatis ob bellorum ciuiliu tumultus Concilij Tridentini rebus, atque cōuentibus, L A Y N E M Ignatius à negotijs liberū Italiae prouinciae praefecit, secundo & quinquagesimo eius seculi anno, tergiuersantem primum illum, ac detrectantem: tandem tamen cessit imperio. Hortari omnes ad pietatem sedulo socios, non verbo magis, quam exemplo. Collegia obire, atque lustrare: instaurare etiam, si necesse esset, & augere, vt in Perusino, & Genuensi factum accepimus. Respicere in Ignatij exemplum, regulamq; quam vitae instituit

1652

stituto tenerent, accurratè seruari iubet. Iam verò concionibus totam ferè Italiam obeundo, societatis estimationem mirificè auxit. De varijs item fidei controuersijs, viteque officijs frequenter consultus, conscientia nodos expediuit. Genuæ Ligurū, pacta, cōuenta, & mercatorum fenora sic dijudicare solitus, vt ius, & æquum vbique, quoad eius salua religione fieri poterat, quæsijsse, animosque laqueis irretitos egregiè liberafse sit creditus. His ferè curis anno sequenti, quarto item, & quinquagesimo occupatus à Iulio III. vna cum Hieronymo Natali comes datus Iohanni Morono Cardinali, Augustam Vindelicorum misso (vbi Cæsar procerum Germaniæ conuentum agebat) vt de rebus arduis, religioneque maiorum commodo publico agerent. Sequēs mox annus Iulio fatalis: Martio enim mense vita decedens vacuam sedem Pontificiam Marcello S. crucis Cardinali reliquit. Moronus rebus gestis Romā aduolauit: LAYNES Florentiæ, cōcionandi gratia, & prouin-

1553

1554

1555

prouinciæ sociorum administrandæ
 substitit. Marcellus II. nomen reti-
 nens optime se in societatem anima-
 tum, quippe qui Tridenti LAYNEM
 nouerat Concilij legatus cum esset,
 statim re ipsa declarauit. Ignatio e-
 nim pedes de more exosculante, sum-
 mamque in terris dignitatem gratu-
 lante, binos ab eo societatis Theolo-
 gos postulauit, quorum consilio rem
 Ecclesiæ publicam, difficilimistem-
 porib⁹ administraret. Incidere enim
 sæpenumero magno dignos vindice
 nodos: addito hoc etiam modestiæ
 singularis, & beneuolentiæ elogio:
Nisi si utiliores alibi socij illi futuri esset.
 LAYNEM itaque Ignatius destinat,
 cui arcana ille antea vitæ, priuatus
 cum ageret, credidisset omnia. Ola-
 uium item, qui Eugubium illius Epi-
 scopatum vna lustrasset, parta ea do-
 ctrinæ opinione, vt Magistrum fre-
 quenter appellare sit solitus Marcel-
 lus. Verum vt res sunt hominum, non
 proprium atq; perpetuū id Ecclesiæ,
 societatiq; gaudium fuit. Vigesimo
 enim die extinctus Pontifex, magnū
 omnibus

omnibus sui desiderium, luctumque reliquit: vt ante diem ereptum, terrisq; tantum ostensum, optimus quisque iudicarit.

Cardinalis honorem fugit LAYNES.

CAP. XI.

Per breuem Marcelli Pōtificatum excepit Ioannes Paulus Caraffa, Archiepiscopus Neapolitanus, & senatus Cardinalium Princeps (Decanum vulgo nominant) qui inauguratus, Paulus IV. mutato de more nomine appellari cōepit. Hic Theatinus Episcopus cum esset, abdicatis titulis, probos aliquot viros collegat, familiamq; inchoarat eorum qui hodieq; Theatini inde nuncupantur. LAYNES & huic gratus acceptusq; fuit. Quamobrem Cardinaliū extemplo collegio inuitū adscribere Pontifex animum induxerat. Cum Ignatiū tristem Ribadeneyræ dixisse accepimus. *Ni Deus prohibeat, breui LAYNES noster purpureo galero donabitur. Id si, quod nolim, accidet, talem se ille præbebit, vt non quæsisse societas*

D honores,